



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellvs De Principalitate Romanæ Ecclesiæ

Roth von Schreckenstein, Hieronymus

Ingolstadii, 1550

VD16 R 3252

Statvs Ecclesiae comparatur Naui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30126

DE PRINCIPALITATE

certè doctius haberi potest, in qua omnes partes & singula officia omnium Christi fidelium ad amissim præscripta sunt. Videbit in hac similitudine Episcopus, Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, & quisq; Christianorum quid sibi in Christianismo præscriptum sit, ut æternæ & cœlestis salutis promissionem consequi possit.

NAVICULA PETRI.

Clemens in priore Epistola, ad Iacobum fratrem Domini, Diuum Petrum in diebus quibus uitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum apprehensa manu Clementis repente consurgentem, inter alia etiam hæc protulisse uerba testatur.

VERBA DOMINI PETRI.

Num illud est, quod præ cæteris ab omnibus uobis cupio seruari, ut concordiam teneatis, per quam solani potestis portum quietis intrare, & Ciuitatem Regis summi quæ pax nominatur, habitare.

STATUS ECCLESIAE comparatur Navi.

Similis est namq; omnis Ecclesiae status navi quæ per undosum Pelagus de diuersis locis & regionibus uiros portat

ROMANAE ECCLESIAE.

portat, ad unam potentis Regis urbem properare cupientes. Sit ergo nauis huius Portus Dominus ipse Omnipotens Deus, Gubernator uero sit Christus, tum deinde Proreta officium Episcopus impleat, Presbyteri nautarum, Diaconi dispensatorum teneant locum, hi qui catechizant Nautologis conferantur. Epibatis autem totius fraternitatis multitudo sit similis, ipsum quoque mare hic mundus habeatur. Ventorum uero uarietates & turbinum, diuersis tentationibus conferantur. Persecutiones ac Tribulationes & pericula fluctibus exaquantur. Terreni uero spiritus, qui uel de torrentibus, uel de conuallibus spirant Pseudoprophetarum & Pseudodoctorum improbae doctrinae uerba ducantur. Promontoria uero & loca confragosa, hi qui in potestatibus seculi sunt Iudices & pericula minantur ac mortes Bithalassa uero loca, quae duplicibus undae fallacis aestibus uerberantur, dubijs mente & de ueritate promissionum nutantibus conferantur, atque his qui irrationabili fide nostram ratione discutunt. Hypocritae uero & dolosi Pyratibus similes habeantur, iam uero rapidus uortex & Tartarea Charybdis & saxis illisa naufragia ac mortiferae submersiones, quid aliud aestimanda sunt.

Restat igitur quo haec nauis cursu prospero tuta possit portum desideratae urbis intrare, ita Deo preces fundere nauigantes ut mereantur audiri, Audiri autem a Deo ita demum merebuntur, si orationes ipsae bonis moribus & bonis operibus adiuuentur. Sed ante omnia cum quiete & silentio Epibatae, id est Laici, in suis unusquisque resideat locis, ne forte per inquietudinem & inconditos inutilisque

D discursus

DE PRINCIPALITATE.

discursus si passim uagari cœperint, uel ab officio nauis impediant, uel in alterum latus per inquietudinem eorum nauis pressa demergatur. Nautologi de mercedibus commoneant, & nihil omnino quod ad diligentiam uel disciplinam pertinet Diaconi negligant, Presbyteri uel ut nauis aptent singula ad instructionem nauis diligenter & instruent quæ in suo tempore requirenda sunt. Episcopus tanquam per retia uigilanter & sollicitè gubernatores uerbo custodiat Christi, Saluator Dominus gubernator Ecclesie sue diligatur ab omnibus & ipsius solius præceptis ac iussis credat & obediat omnis Ecclesia, Deo quoque indefinenter supplicetur à cunctis, de prosperitate uentorum nauigantes omnem tribulationem & omnè periculum sperent, tanquam immane profundum mundi istius & uitæ humanæ Pelagus nauigantes, in quo & esuriendum sit & sitiendum, nuditas quoque ferenda, morbi etiam corporis & egritudines tolerandæ. Insuper & hominum insidijs & dolis sæpe laborandum, quippe qui & dispergendos se non nunquam nouerint, sed aliquando & congregandos. Vomitus quoque & sugillationes ferendas, cum ex confessione peccatorum & reiectione criminum uelut male congregati in uisceribus fellis, iactura faciendæ est, & abiiciendæ prorsus è corde omnis intrinsecus latens amaritudo peccati. Si quæ forte ex desiderijs iniquis uelut ex cibis noxijs congregata est. Quam utique cum euomerit quis & abiecerit inuentis egritudinis liberabitur morbo, si tamen post uomitum, quæ ad sanitatem pertinent, sumat. Veruntamen scilicet, quod supra omnes uos laboret Episcopus quia unusquisque

ROMANAE ECCLESIAE

quisq; uestrum suum proprium fert laborem, ille uero & suum & singulorum,

Quam diligenter & festiuiter Diuus Petrus omnia officia Christianorum hoc loco expresserit uix dici potest. Romae autem protulit uerba haec. In conuentu fratrum, cum finem uitae instare sentiret, tanquam ultimum testamentum & Elogium, quod certe aureis literis omnibus Ecclesijs prescribendum est. Quam pie primum omnes Christianos adhortatus sit ad Concordiam habes. Deinde quam diligentissime unicuique Christianorum suum officium praescripserit. Et praecipue Laicis, ut in suis locis sedeant & Presbyteros ab officio ne impediunt, atque omnes ut Christum diligant & eius praecipis obediunt adhortatus sit. Nihil certe doctius, nihil elegantius, nihil Christianitati utilius, nihil Petro ipso dignius adduci potuisset.

Valeant nunc, qui dicunt eum nunquam Romae fuisse, cum constet haec sacratissima uerba Romae a Petro ultimi testamenti instar prolata.

SIMILITUDO ECCLESIAE CATHOLICAE AD UNICAM COLUMBAM.

Nec minus pulchre Salomon Ecclesiam unice columbae assimilauit. Cant. cap. 5. Cui astipulantur uerba plenissima spiritu. Eisd. 4. Cap. 2. Ecclesia gentium Mater, amplectere filios tuos, Educ illos cum laetitia

D ij sicut